



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Meditationes in Passionem Et Resvrrrectionem D. N. Iesv Christi

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

Meditatio 21. De Christi apud Pilatum accusatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59870](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59870)

fuert, grauiore opinione nostra cognosce-
mus, cum periculo fore desperationis, nisi
maturè respiscamus.

6. Quicumque ducti amore diuitiarum
& temporalium commodorum, discedunt
à seruitute Christi, & ad seculum reuer-
tuntur, laqueo tenentur implicati ut Iu-
das.



MEDITATIO VIGESIMA PRIMA.

DE CHRISTI APVD PI-
latum accusatione.

EVANGELIUM.

ADDVCVNT ergo Ioan. 8.
Iesum à Caipha in
prætorium. Erat au-
tem mane. Et Iudæi
nō introierūt in præ-
torium ne ~~non~~ contra-
minaretur, sed
manducarent pascha. Exiuit ergo
Pilatus ad eos foras, & dixit ei: Quā
accusa-

Luc. 23.

acculationem adfertis aduersus hominem hunc? Responderunt, & dixerunt ei Iudæi: Si non esset hic malefactor, nō tibi tradidissimus eum. Cœperunt autem accusare eum, dicentes: Hic inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.

FIGURAE.

Dan. 5.

PRINCIPES Regis Darij inuidentes Danieli, quod sibi praelatus esset, calumnijs apud Regem oppresserunt, vsq; eò dum traderetur ad mortem.

PROPHETIÆ.

Psal. 63.

EXACVERUNT ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Psal. 108.

Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circundederunt me, & expugnaverunt me gratis.

CONSIDERATIONES.

1. Punctū.

BENE mane aduictus est IESVS ad tribunal Pilati. Vide, vt Dominus
omni

omni tempore, omni hora aliquid patitur, à vespera vsque ad mane: rursus à mane ad vesperam vsque, tota nocte vexatus, tota die sine intermissione cruciatus. Hora prima accusatur, tertia dānatur, sexta crucifigitur, nona exspirat in cruce, ad vesperam sepelitur. O mi bone I E S V, magna fuit causa, vt velles in singulas horas noua semper pro nobis ferre supplicia: quādo & nos quouis tempore & hora, nouis imperfectio- nibus & peccatis te laceessimus. A Equū est igitur, vt mutata vice ob tantum be- neficium, quouis tēpore & hora te lau- demus & tibi seruiamus.

Considera quomodo steterit Domi- ninus mundi ante Pilati tribunal, in- star ouis innocentis, quæ pro nostra sa- lute se offerebat sacrificio: Sed Pilatus, vt iudex non sine superbia & fastu: circum- stabant hinc improbi lictores & carnifi- ces parati ad mortem & crucem adferē- dam, quā primū lata esset senten- tia: inde turba illa funialis Iudæorum a- stabat, vt leones rugientes, & horrendis vocibus contra Saluatorē personantes. Ille verò vt Agnus mansuetissimus ta- cebat, nec aperiebat os suum. Desigebāt in illum terribiles oculos impij Iudæi, & aspectu feroci dentibus in eum stride-
I bant:

bant: at bonus & amabilis Iesus stabat cum modesto quodam pudore terram intuens, paratus bibere calicem sibi à Patre destinatum.

Vide quanta fuerit in Iudæis cæcitas. Putabant se contaminandos ingressu Prætorij, quod in eo causæ capitis cognoscerentur: at sanguinem Christi innocentem effundere, quod tum maxime laborabant, id nihil habere sceleris arbitrabantur. Interrogati ergo à Pilato quam aduersus illum afferrent accusationem: *Si non esset, inquit, hic malefactor, non tibi tradidissimus eum.* At o ingrati & infelices Iudæi, dicite quæ sunt illa Christi malefacta, quibus vos iniurijs aut damnis affecit Saluator, vt illum malefactorem morte dignum iudicetis. An ideo malefactor est, quod caelestem vobis in terras doctrinam detulit? an quod infirmos vestros sanauerit, cæcis vitam mortuis restituerit? Interrogatur ij quos dæmonibus obsessos liberauit, à quibus lepram verbo absterfit, totosque muti, tot surdi, qui ab ipso aurium & linguæ usum recuperarunt, an Iesus, quia tantam in illos beneficium fuit, malefactor fuit? Nimirum omnes una voce nati illius cæci verbis proclamarent. *Nisi esset hic homo à Deo, non posset facere quicquam.*

Ioan. 9.

E contra vide, quam verè Christus

formā sibi malefactoris assumerit. Simul enim cum assumpta carne nostra, similitudinem sumpsit culpæ nostræ. Erat quidem ipse simplicissimus ille Iacob, sine vlla peccati malitiā, sed quod amore nostri collo & manibus pelles nostras induisset, & vestes haberet reprobi Esau, eius loco habitus, atque adeo à Deo peruestigatus est. Hanc ob rem, quoties Saluator noster ad diuersos iudices de varijs criminibus accusatus est, neque defensionem, neque excusationem vllam adhibuit, vt indicaret velle se haberi reum, & tanquam reum pœnas & mortem subire.

Gen. 27.

O magna bonitas! ô caritas ineffabilis! Tu Domine, vt me tuæ iustitiæ amictu ornares, tibi meæ vitiositatis vestem induis? Tu vt verus peccator periculo te maledictionis exponis, vt nos heredes efficias tuæ benedictionis, vt iure per Prophetam dixeris: *In me transferunt iram tuam, & terrores tui, conturbauerunt me,* iusta enim ira æterni Patris, quæ in nos debebat effundi, & terrores grauiū pœnarum, quæ peccatis nostris debebantur, voluisti, vt simul irruerent in humeros tuos.

Gen. 27.

Psal. 87.

Accusatus est Dominus à Iudæis de triplici crimine. Primò, quod subuertat

I 2 gentem:

gentem : deinde quod prohibeat dare tributum: denique quod se Regem faciat. O linguas mendaces! Non venit Christus vt dissensiones in populo concitaret, sed vt vos secum coniungeret, &

Matth. 27. congregaret filios vestros, sicut *galilina congregat pullos suos sub alas*: non venit vt tributum Cæsari debitum auferat, vt qui ipse pronuntiârit, *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: sed vt vos tributum

Luc. 20.

Deo debitum penderetis, atque hæc de causa venit, & vobis seipsum donauit, vt ipsum æterno Patri offerentes, haberetis vnde Maiestati diuinæ debitum soluere possentis. Denique non venit, vt instar Regis vos dominatu opprimeret, sed relicto suo regno, in terris formam serui induit, vt vos reges & hæredes cæli constitueret.

COLLOQVIVM.

ROGABIS Christum Dominum per humilitatem illam insignem & patientiam, quibus ipse iudex viuorum & mortuorum, voluit habitu stare coram iudice iniquo & tot falsa crimina & calumnias audire ab inimicis vt tibi gratiam concedat, qua possis etiam patienter ferre ab hominibus mundanis illatas contumelias & conuitia: tollat in

D
à tep
cata
sis, qu
quam
libus.

1. C
si nõ j
Dei t
Pilat
qual
Chri
subm

2.
à nol
nos a
à luo
quot
qui c
mus.

mus.

3.
mal
Chri
que
facto

4.
ma

à te propensionem illam excusandi peccata & imperfectiones tuas, vt dignus sis, qui à sua Maiestate recipias gratiam, quam negat superbis, & concedit humilibus.

DOCUMENTA

1. **Q**UOMODO nos Superioribus nostris nō subiecti esse possumus, etiā si nō satis probi sint cum videamus filium Dei tanta cum submissione stare coram Pilato? & quomodo nos terra & cinis aequalibus non cedamus, cum videamus Christum iudicem cali & terra, homini se submittere iudici Iudaei?
2. Patienter ferendum est, si qui ornati à nobis beneficijs, tamen aduersantur, & nos apud mundum accusant: idem enim à Iudaeis passus est Christus: Nunc etiam quotidie patiētissimè à nobis id patitur, qui cum tot ipsius beneficijs obligati simus, tam negligenter tamen illi seruiamus, sapissimè etiam peccatis offendimus.
3. Si quod à nobis rectè factum est, in malam partem accipiatur: cogitemus & Christum ipsam veritatem, habitum atque appellatum esse seductorem & malefactorem.
4. Accusamus Christum, cum proximo nostro aut falsi aliquid imponimus.

*aut verum exaggeramus, aut sine causa
alijs defectus illius apperimus.*

5. *Christum ut seductorem accusant
ij, quos poenitet audisse eius inspirationes,
& coepisse illius seruituti se dare: deside-
rantes videlicet redire ad ollas Aegypti.*



MEDITATIO VIGESIMASECVNDA.

QUOMODO PILATVS CHRIS-
TUM INTERROGAVERIT.

EVANGELIVM.

Matth. 27.

Marc. 15.

Luc. 23.

Ioan. 18.

INGRESSVS est er-
go iterum Pilatus in
prætorium, & inter-
rogavit Iesum: Tu es
Rex Iudæorum? At il-
le respondens ait: Regnum meum
non est de hoc mundo. Si ex mundo
esset regnum meū, ministri mei uti-
que decertarent, et non traderer Iu-
dæis. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo
Rex